



## CAP. X.

## DE LINGUA LATINA.

1. **L**ATINORUM Linguam ( prout nunc scriptis<sup>r</sup> doctorum virorum excolitur, & eruditorum ore per univērsū orbem Europæum usurpatur ) in prima statim *γλωττοσυγχύσι* ortam esse, affirmare vix ausim.

2. Defeciunt enim me heic auctoritates, id ipsum affirmantes; obsunt itidem negantes.

3. Negantium ratio exinde sumitur, quod Latini generationem suam deferre cogantur Aboriginibus, genti Græciæ, ex Oenotriis oriundæ ( nomine isthoc ab Hebræo *יִבְעָ* b. e. vino derivato ) qui A. Mundi 2321. teste Dionysio Halicarnasseo lib. 1. Rom. Antiquit. c. 2 6. & 11 ex peloponeso profugi, sedes in Italia fixerunt suos; quam deinde Hesperiam, (vide Virgilium lib. 1. *Æneidos*) à situ nuncuparunt. Horum comites erunt & alii populi: è Thessalia Pelasgi, ex Arcadia comites Evādrii: è peloponeso Phœneatæ & Epei Ebidentes. Testibus Christ. Becmanno, Golzio, Peucero, Plin. lib. 4. cap. 6. *Historiæ Naturalis*.

4. Fuerunt autem Coloniae isthæ translatae, annos ante bellum Trojanum circiter sexaginta; uti iterum meminit prænominatus Dionys. Halicarnasæus.